



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. III. Vtrum ex duobus bonis possit voluntas eligere minus, vel saltem æquale?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

eligit finem in quantum hujusmodi, sed tantum media qua ad illum ordinantur. Dixi, *in quantum hujusmodi*, quia sicut in speculativis quod in una demonstratione est principium, potest esse conclusio respectu alterius, ut patet in principiis scientiarum subalternarum, qui sunt conclusiones subalternantur; ita quod in una operatione est finis, potest ordinari ad aliquid ut ad finem, & tunc de illo, ut habet rationem medijs formaliter, rationem verò finis tantum materialiter, potest esse electio. Sicut sanitas, quam medicus non eligit, sed supponit tanquam principium medicinae, potest ordinari ad exercitium virtutis, & salutem spiritualem, & sub hac ratione eligi. Ex quo facile intelliges id quod ait D. Thomas supra qu. 6. art. 2. nempe quod *apprehensio fine aliqui potest, deliberans de fine, & de his que sunt ad finem, moveri in finem, vel non moveri*: potest enim aliquis deliberare de fine, non quidem quantum ad ipsam rationem formaliter finis, in communione & formaliter sumptu, quod est bonum conveniens ut sic (de hoc enim nulla est deliberatio, quia nulla est dubitatio, cum bonum omnes appetant sine deliberatione) sed de fine materialiter sumptu; quia nimis non semper sumus certi, sed possumus dubitare, & con sequenter inquirere & deliberare, in qua re inveniatur talis finis: sicut omnes desiderant beatem vivere, & tamen in qua re inveniatur ista beatitudo, multi dubitabant, at in divitis v. g. an in voluptatibus, an in Deo? Et similiter multi desiderant vitam recte instituere, sed an ista vita sit eligenda in coelibatu, vel in matrimonio, vel in studio, vel in militia, deliberatione subjicitur.

15. Advertendum est etiam, electionem duobus modis posse usurpari, primò impropriè & in larga quadam significacione, prout solum significat amorem unius rei pra multis, & inter multa; secundò strictè & propriè, prout significat amare unum propter aliud, seu acceptanceum unius pra alio ad finem obtainendum. Si primo modo electio accipiatur, non solum est de mediis, sed etiam de finibus, in quantum hujusmodi, imò & de ipso ultimo fine, sive vero, qui est solus Deus, sive falso, qui est bonum proprium ipsius peccatoris. Et secundum hanc electionis acceptancem intelligitur illud Deut. 26. *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus; & etiam illud Luca 10. Optimam partem elegit sibi Maria, que non auferetur ab ea: id est, aeternam beatitudinem, sive requiem in aeternum mansuram. Si autem secundo modo usurpetur electio, non est de fine, in quantum hujusmodi, sed solum de mediis, juxta illud Aristotelis 3. Ethic. *Voluntas finis est, electio eorum que sunt ad finem.**

16. Dico secundò, electionem non esse nisi de his que à nobis aguntur. Ita D. Thomas art. 4.

Probatur: Quamvis medium aliquando non sit actio nostra, neque res operabilis à nobis, at tamen semper subditus nostra actioni, aut potius actio nostra una cum re externa unum constituit medium: sicut enim intentio non tendit in finem absolute sumptum, sed in finem ut connotat actionem nostram, scilicet consecutionem & possessionem, eò quod tendat ad finem obtainendum; ita & electio tendit ad medium, non nudè, sed ut connotat operationem nostram, est enim id quod consequimur & obtainimus finem intentum, v. g. cum aliquis profectus Parisios assumit equum, equus nudè sumptus, non est medium conducens ad finem, sed potius

A equitatio. Ex quo patet hoc esse discrimen inter primam volitionem, intentionem, & electionem, quod prima volatio, cum sit simplex complacencia in objecto, potest esse de re qua à nobis non agitur; intentione vero & electio, quia respiciunt finem ut obtainendum ab appetente, tendunt ad rem operationis nostrae subjectam.

Dic tertio, electionem non esse de impossibili-
li, cognito ut tali. Est etiam D. Thomae art. 5.

Probatur primò: Electio non est nisi de his que à nobis aguntur, ut ostendimus conclusione präcedenti: Sed ea que per nos aguntur, sunt nobis possibilia: Ergo electio non est nisi possibili-
um.

Secundò probatur: Electio procedit ex intentione efficaci finis: Atque voluntas efficax non inclinat ad impossibilium: Ergo electio non est de impossibilibus.

Tertiò: Electionis objectum est bonum utile ut sic: Sed id quod est impossibile non est utile: Ergo non est objectum electionis.

Denique probatur conclusio: Electio est tan-
tum de his de quibus est consultatio, unde ab Aristotele *appetitus präconsiliati* appellatur: Sed consultatio non est de impossibilibus, ut patet: Ergo nec electio.

Dixi electionem de impossibili cognito ut tali: nam ut ait D. Thomas resp. ad 2. *Sicut quandoque voluntas est alicuius quod apprehenditur ut bonum, & tamen non est vere bonum; ita quandoque est electio ejusquod apprehenditur ut possibile eligenti, quod tamen non est ei possibile.*

Querunt hic aliqui, an saltē incirciter & conditionatē voluntas possit ferri in impossibile, cognitum ut tale? Sed de hoc egimus in tractatu

*Diſp. 13.
art. 3.*

ARTICVLVS III.

Vtrum ex duabus bonis possit voluntas eligere minus bonum, vel saltem equale?

S. I.

Premittuntur que apud omnes sunt certa.

CERTVM est primò, quod moraliter & regulariter loquendo, semper voluntas eligit id quod videtur melius: Tum quia homo ita inclinus est ad proprium commodum, & ad suæ voluntatis impletionem, ut regulariter ad id, quod ad finem intentum magis videtur conducere, toto imperio & pondere voluntatis feratur: Tum etiam, quia moraliter fieri nequit, ut facta sufficienti inquisitione, intellectus practicè judicet duo media ita esse aequalia, ut aliqua bonitas non appareat in uno, ratione cuius eminet supra illud, sive illa petatur ex differentia specifica, sive ex individuali, sive ex aliqua circumstantia, putat approximatione &c.

Secundò certum est, voluntatem posse responde id quod intellectus judicat speculativè majus bonum, & fieri in id quod speculativè judicatur minus: nam ille qui peccat, præfert bonum utile vel delectabile bono honesto, quamvis speculativè judicet bonum honestum longè esse præstantius. Unde optimè Basilius: *Quam vani & iniqui filii hominum in statibus, qui terrena cœlestibus, corporalia spiritualibus, temporalia aeternis anteponunt. Et Bernardus: Statara avaritia iniquissima est: plus enim in ea ponderat oblus quam Deus, plus numerus quam anima.*

A 3

DISPUTATIO NONA

Tertiò non est dubium, quin possit voluntas æquale & minus bonum eligere, relicto meliori, saltem mediatae, movendo scilicet intellectum ut novas rationes & motiva inveniat, propter quæ objectum, quod alias secundum se minus bonum, minimeque amabile videbatur, reddatur convenientius & melius, saltem apparenter, & sic eligat illud præ alio. Unde D. Thomas hic art. 6. ad 3. *Nihil prohibet, si duo aequalia proposuantur secundum unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, & magis flectatur voluntas in illud quam in aliud.*

21. Difficultas ergo reducitur ad hoc, an propositis duobus bonis, non solum speculativè & secundum se æquilibus, sed etiam practicè, & ex parte judicij & dictaminis practici intellectus, aut etiam propositis simul uno majori & alio minori, possit voluntas, non mutato judicio, nec novò motivò proposito, eligere illud quod ut minus bonum, vel ut æquale alteri proponitur? Ratio autem dubitandi est, quia cum voluntas sit potentia cœca, sequitur ductum rationis, & dictamen seu judicium practicum intellectus, unde si ille practicè judicet duo media esse æquæ utilia, aut unum minus & aliud magis utile, impossibile videtur quod voluntas in unum potius quam in aliud propendeat, & multò minus quod eligat dexterius, relicto meliori. Aliunde vero cum ipsa sit potentia libera, & a nullo objecto, præterquam à summo bono, clare viso, necessarii posse, ejusque libertas præcipue in electione consistat; videtur quod stante adhuc æquali aut meliori dictamine, medium æquale, aut minus bonum eligere possit.

22. Hæc difficultas Theologorum ingenia divisi, & in duas extremè oppositas coegerit abire sententias. Recentiores enim, ut Suarez, Valentia, Salas, & alij, existimant non posse libertatem voluntatis illasam servari, nisi presupposito ex parte intellectus iudicio practico de æqualitate vel inæqualitate mediorum, possit ipsa voluntas quocumque voluerit eligere, altero relicto, & in quamlibet parte in pro libito scipsum determinare. Thomista vero, quos sequuntur Vazquez hic disp. 43. cap. 2. & Bellarminus lib. 3. de gratia & lib. arbit. cap. 9. negant hoc requiri ad rationem libertatis, & docent esse impossibile, quod stante iudicio practico intellectus, dictantis melius & convenientius medium esse eligendum, voluntas minus bonum vel æquale eligat, sed si velit æquale aut minus bonum eligere, debere movere intellectum, ut novas rationes & motiva inveniat, propter quæ, id quod minus bonum vel æquale videbatur, melius & convenientius appareat: unde ait Bellarminus loco citato, *minus bonum posse eligi, si iudicatur magis.*

S. I. I.

Sententia negativa prefertur.

Dico primò, minus bonum, cognitum ut tale, & voluntati propositum, non posse eligi, relicto meliori.

23. Probatur primò ex Aristotele 3. Ethic. cap. 3. ubi ait: *Quod catervis ex consultatione præstabilitus, id eligibile est: Sed intellectus in consultatione, quæ electionem antecedit, nunquam preferit, nec præferre potest medium minus bonum & minus utile, cognitum ut tale, meliori*

A & utiliori; consultatio enim fit ad hoc ut intellectus inter se conferat media quæ invenit, & præferat illud quod judicat magis utile & accommodatum ad finem obtainendum: Ergo medium minus bonum & minus utile, cognitum ut tale, non potest eligi.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: 24 Voluntas cum sit potentia cœca, non potest prosequi nisi objectum sibi ab intellectu propositum: Ergo non potest unum præelligere alteri, nisi intellectus judicet unum esse alteri præcligendum. Atqui (subfumo) repugnat quod intellectus judicet minus utile, apprehensum ut tale, utiliori & meliori esse præferendum: Ergo & quod voluntas illud per electionem alteri præferat. Major, & prima consequentia patent. Subfumptum verò probatur. Ratio eligibilitatis in mediis, non aliunde provenit, quam ex eorum utilitate, & proportione seu accommodatione ad finem: Ergo repugnat quod intellectus judicet medium illud esse magis eligible, & alteri præferendum, quod cognoscit esse minus utile, & minus accommodatum ad finis aseptionem.

Confirmatur amplius: Objectum movet voluntatem, eam alliciendo & trahendo; que motio metaphorica à Philosophis appellatur: Ergo non potest voluntas ferri in unum objectum, præ alio, illudque præelligere, nisi ex parte illius major tractio & allicientia objectiva reperiatur, & per consequens nisi aliquid melius & convenientius ab intellectu proponatur: talis enim tractio, seu allicientia & motio metaphorica, fit mediante bonitate & convenientia ab intellectu voluntati proposita; unde sicut incognita amare non possumus, ita nec præelligere ea quæ ut minus bona & minus utilia voluntati per iudicium practicum intellectus propounderuntur.

Probatur secundò conclusio: Voluntas non potest eligere seu velle malum sub ratione mali: At si eligeret medium iudicatum minus bonum, relicto meliori, eligeret malum sub ratione mali: Ergo &c. Major à nobis sufficienter demonstrata est suprà disp. 4. art. 1. Minor vero probatur: quia ut ait D. Thomas t. p. qu. 50. art. 1. ad 1. *Medium comparatum ad unum extreum, videatur alterum extreum; sicut tepidum comparatum calido, videatur frigidum: quam doctrina accepit ex Aristotele 3. physic. cap. 1. vbi ait: Medium est quodammodo ipsa extrema, ut media fidum, gravis ad ultimam dicitur, & acuta ad primam; fuscum etiam album ad nigrum dicitur, & nigrum ad album; & ex Damasceno lib. 2 de fide cap. 3. ubi docet Angelos dici immateriales & incorporeos, quantum ad nos; & comparatos cum Deo dici materiales & corporeos; & sic etiam crepusculum aliquando vocatur dies, aliquando nox, aliquando medium quid, & utriusque confinium: Atqui minus bonum est quasi medium inter majus bonum & malum: Ergo comparativè ad majus bonum, habet rationem mali; & per consequens si homo eligeret minus bonum, cognitum ut tale, relicto meliori, eligeret malum sub ratione mali.*

Probatur tertio: In electione non simpliciter aliiquid est volitum, sed unum est volitum, alio rejecto seu repudiato; unde si proposito medio meliori, & minus bono, voluntas istud eligeret, majus bonum cognitum ut tale repudaret: Sed repugnat quod voluntas majus bonum,

cognitum ut tale, fugiat & repudiet: Ergo & A quod eligat minus bonum, reliquo meliori. Major patet: electio enim, si propriè sumatur, est acceptio unius præ alio, id est acceptatio unius, repudiando alterum. Minor vero suadetur: Obiectum nolitionis & fugæ, est malum ut tale, si cut obiectum prosecutionis est bonum: Sed medium magis bonum & utile, nec in se, nec in ordine ad minus utile, potest habere rationem mali: Ergo non potest à voluntate rejici.

28. Dico secundò: Si duo media omnino æqualia proponuntur, neutrum potest eligi, donec intellectus in uno aliquam rationem seu convenientiam excogitet, ob quam præminet & preponderet alteri. Ita colligitur ex D. Thoma hinc artic. 6, ad 3, ubi totam rationem eligendi unum præ alio, reducit ad diversam considerationem, quâ potest aliquid magis eminere, & aetere voluntatem. Idem videntur docuisse plures ex antiquis Philosophis: nam ex Platone refert D. Thomas loco citato in argumento 3, & ex Anaximandro Aristoteles 2, de calo textu 75. & 90. quod si famelico poneretur duplex cibus æqualis, & in æquali distantia, non magis moveretur ad unum, quam ad alium. Similiter dicebant capillum ex omni parte æqualiter distinatum, non posse illa vi rumpi, quia non est major ratio ob quam ex una parte potius quam ex alia rumpatur, per omnem autem partem simul rumpi non potest. Ex quo inferebant, eadem ratione non moveri terram in medio positam, quia non est major ratio, quare moveatur ad unam potius quam ad aliam partem. Denique si daretur corpus æqualiter grave & leve, non ascenderet neque descenderet: quia non esset major ratio cur potius sursum quam deorsum ferretur, vel econtra. Sed quicquid sit de his exemplis, de quibus disputant Philosophi:

Probatur conclusio ratione fundamentali: Quandiu potentia indifferens non determinatur ad unam partem, nulla sequitur operatio: Sed dum voluntati proponuntur duo media omnino æqualia, nihil est per quod voluntas determinetur ad eligendum unum potius quam aliud: Ergo neutrum tunc potest à voluntate eligi. Major sufficienter demonstrata fuit suprà disp. 6. art. 2. §. 8. agendo de necessitate prædeterminationis in ordine ad causas liberas. Minor vero suadetur: nam in eo casu voluntas non determinatur ab ipso obiecto: cum enim supponamus illa bona esse omnino æqualia, non est potior ratio quare unum potius quam aliud eam determinet: non determinatur etiam ab intellectu, quia intellectus aliter non determinat voluntatem, quam propnendo obiectum: neque etiam determinatur à seipso, ratione libertatis quâ pollet: Tum quia cum voluntas sit appetitus rationalis, sequens ductum rationis, & cognitionem intellectus, nunquam potest se determinare ad id quod ut omnino æquale & indifferens ipsa ab intellectu proponitur: Tum etiam, quia ut docet S. Thomas i. p. qu. 19. art. 3. ad 5. & 3. contra gent. cap. 2. & 2. physic. lect. 8. cuius verba loco suprà citato retulimus, à causa contingente & se habente ad utrumlibet non exit actio determinata, nisi prius determinetur ab alio: Ergo dum voluntati proponuntur duo media omnino æqualia, nihil est per quod voluntas determinetur ad eligendum unum potius quam aliud.

30. Respondent Adversarij ex Soncinnate lib. 9. metaph. qu. 14. quod potentia contingenter se

Tom. III.

A habentes ad plura, sunt in duplice differentia: quedam sunt potentia imperfecta, & purè passiva, qualis est materia prima in ordine ad diversas formas, & superficies corporis in ordine ad albedinem & nigredinem; & talis potentia non potest ad alteram partem se determinare, sed oportet quod determinetur ab alio: alia sunt potentia perfecta, que ex se habent aliquid activitatis, quia non sunt potentia purè passiva, sed etiam activa; & hujusmodi potentia possunt seipso determinare ad aliam partem, quia licet formaliter sint in potentia, sunt tamen virtutaliter in actu, & talis est voluntas.

Sed haec solutio stare non potest: Primi, quia D. Thomas locis citatis expressè loquitur de voluntate creata.

Secundò, quia Commentator 2. physic. textu 48. sic ait: *Ab eo quod est ad utrumlibet non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum.* Et D. Thomas 3. contra gent. cap. 2. *Quod indifferenter se habet ad multa, non magis unum eorum operatur, quam aliud: unde à contingenti ad utrumque non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid quod determinetur ad unum.* Sed quod est indifferens solum passiva, ut materia prima, non operatur, nec ab eo exit aliqua actio aut effectus, ut patet: Ergo dictum illud Commentatoris & D. Thomas de indifferenti solum passiva glossari nequit.

Tertiò, Licet voluntas non sit potentia mere passiva, sed etiam activa, non est tamen prima causa sua determinationis: Ergo prima radix, quare vult hoc medium potius quam illud, non est quia vult, sed oportet assignare aliquid extra ipsum à quo moveatur in tali electione, quod in ordine causa primæ & universalis est Deus, in ordine vero causarum secundarum & particularium, major bonitas unius respectu alterius ab intellectu proposita.

Quartò, Voluntas utrumque habet, & quod sit potentia activa, quatenus producit & eligit proprium actum, & passiva, quatenus moverit ab ipso obiecto: Ergo prius natura quam ipsa activa producat suum liberum consentium, oportet quod moveatur ab obiecto ad hunc actum potius quam ad illum, seu ad eligendum hoc potius quam illud. Probatur consequentia: nam in potentia, in quibus reperitur ratio activi & passivi, præcedit ordine naturae ratio passivi rationem activi, ut patet in potentia visiva, que prius natura patitur recipiendo species visibles, quam agat producendo activem visionem.

S. III.

Solvuntur objectiones.

PRAECIPVVM fundamentum adversa sententie sumitur ex libertate voluntatis, quæ non videtur posse stare, nisi ex duobus bonis æqualibus aut inæqualibus, sibi ab intellectu propositis, possit quocumque voluerit eligere, alio reliquo, & in quilibet partem pro libito seipso determinare. Unde sic potest argumentum confici: Duobus mediis æqualibus aut inæqualibus voluntati propositis, illa remanet libera quoad exercitium & specificationem: Ergo potest eligere quocumque maluerit. Consequentia patet: libertas enim consistit in vi eleciua, seu in potentia ad eligendum hoc vel il-

Aa ij

DISPUTATIO NONA

lud, prout voluntati placuerit. Antecedens etiam manifestum est, quia media illa sunt bona particularia & limitata: voluntas autem non potest necessitari nisi à bono in communi, vel ab ipso Deo clarè viso, quippe in quo nulla potest ratio mali seu inconvenientis apparere.

36. Facile tamen respondet, concessio Antecedente, distinguendo Consequens: potest elige-re quodcumque voluerit, manente judicio practico aequalitatis aut minoritatis medij, nego: mutato tali judicio, concedo. Solutio patet ex suprà dictis: licet enim voluntas sit libera, quia tamen est potentia cœca, & appetitus rationalis, sequens ductum rationis, & tota ejus libertas à judicio rationis tanquam à proxima radice pro- cedit, non potest operari sicut prævio judicio rationis, ipsam movente in genere causa finalis, & formalis extrinsecus: unde sicut voluntas ex sua libertate non habet quoddam possit ferri in in- cognitum, sed potius hoc ejus nature & inclina- tionis repugnat; ita nec quoddam possit eligere id quod intellectus per judicium practicum repræ- sentat ut minus bonum, & per consequens ut respuendum.

37. Dices: Omnis suppositio antecedens, qua non descendit à potestate seu libertate voluntatis, libertatem destruit: Sed judicium illud practicum intellectus, dictans voluntati medium utilius, & convenientius est eligendum, est ali- qua suppositio antecedens electionem voluntatis, qua ex ipsis libertate non oritur: Ergo de- struit libertatem.

38. Respondeo data & non concessa Majori, de Dis. 6. qua fuse diximus in tractatu de prædestinatio- ne, negando Minorem: sicut enim intentio finis dependet à voluntate, ita & judicium practicum de convenientiori medio eligendo, def- cendit ex libertate voluntatis, qua liberum voluit applicare intellectum ad consultandum de mediis: unde talis suppositio judicij practici potest cessare, vel quia voluntas potest desiste-re ab intentione finis, vel etiam quia illa ad- huc supposita, potest applicare intellectum ad inquirenda alia media, vel ad excogitandas alias rationes bonitatis & convenientiae in mediis que minus bona apparebant, quibus moveatur ad ea eligenda. Quare adhuc facta suppositione illa judicij practici de medio convenientiori, voluntas potest in sensu diviso & potentia ante- cedenti, alia media eligere; licet non possit si- mul stare judicium de convenientiori medio eli- gendo, cum electione minus boni; alioquin vo- luntas non esset appetitus rationalis, quia non sequeretur ductum rationis & dictamen practi- cium intellectus.

39. Objicies secundò: Voluntas potest ferri per electionem in illud omne quod habet rationem boni utilis: Sed in medio aequali, aut etiam minus bono, ratio boni utilis reperitur: Ergo vo- luntas potest illud eligere.

40. Confirmatur: Si illud medium, quod est aequaliter minùs utiliter, seorsim proponeretur voluntati sine alio medio aequaliter vel magis utiliter, voluntas posset illud eligere: Ergo etiam poterit eligi, quando proponitur simul cum alio aequaliter vel utiliori medio. Probatur Consequens: quia per hoc quod conjungatur seu conferatur cum alio aequaliter, vel utiliori, non amittit suam boni- tatem, seu utilitatem quam habet ad finem, ra- tione cuius est eligibile.

41. Ad objectionem respondeo primum, voluntate

A tem posse ferri per electionem impropriè sum- ptam, prout dicis amorem unius rei in ordine ad aliam, in illud omne quod habet rationem boni utilis; per electionem tamen strictè sum- ptam, prout dicit acceptionem unius præ alio ad finem obtinendum, de qua solum agimus in praesenti, solum posse tendere in medium, quod per judicium practicum intellectus, melius & convenientius judicatur, juxta illud Aristotelis 3. Ethic. cap. 3. *Quod ceteris ex consultatione pre- tulimus, id eligibile est.* Unde ibidem cap. 2. alle- rit *quod eligimus qua magis scimus esse bona.* Item Nisenus lib. 1. Philosophie cap. 4. & Da-mascenus lib. 2. fidei cap. 22. docent quod electio sequitur judicium quod unum praefertur alteri. Ex quo intelliges volitionem unici medij non pertinere propriè ad electionem, sed ad conser- sum: nam ut infra dicemus, consensus & electio non distinguntur per hoc quod ille sit simplex, hæc verò efficax complacentia medij, sed quia ut docet D. Thomas infra qu. 15. art. 3. ad 3. *Elec- tio addit supra consensum quandam relationem re- spectu ejus cui aliiquid praelicetur:* unde cùm in volitione unici medij non sit talis relatio, ejus- modi volitio non erit propriè electio, sed consen- sus.

Respondeo secundò, data Majori, distinguen- do Minorem: in medio aequali aut minus bono ratio boni utilis reperitur, si considerentur secundum se, seu seorsim, concedo: si comparen- tur ad aliud aequaliter vel magis bonum, nego: nam medium minus bonum, respectu melioris, in- diuit rationem mali, ut suprà ostendimus: aequaliter verò respectu aequalis se habet ut indifferens, quia non habet suprà illud rationem quā ci- anteponatur. Per quod patet ad confirmationem.

Tertiò contra secundam conclusionem propo- ni solet hoc vulgare argumentum: Si homini proponantur duo bona omni ex parte aequalia, v. g. famelico duo panes vel cibi omnino aequalis in quantitate, qualitate, & ceteris conditionibus, vel eliger alterum, aut utrumque, aut neutrum? Si primum, haberut intentum, tunc enim non ab aliqua majori bonitate proposita determinabitur voluntas, quia, ut supponimus, non datur, sed præcisè à se: secundum verò non potest stare, quia supponimus quod illi famelico non permit- tatur utrumque panem tollere, sed alterum tan- tum: tertium denique non videtur probabile: ridiculum enim videatur quod famelicus ille adin- star Tantali malit in sua fame perire, quam ci- bum paratum attingere, seu eligere: Ergo &c.

Respondeo quod tunc famelicus illi ex subito quadam motu & naturali impetu, absque deli- beratione & rigorosa electione, afflumet unum ex illis panibus. Quod si velit perfectè deli- berare, & de melioritate cibi confulere, voluntas applicabit intellectum ad investigandum in uno ex illis mediis aliquam rationem boni & convenientis seu commodi, quā emineat su- pra aliud, ut docet D. Thomas hic art. 6. ad 3. Si autem post istum inquisitionem in-neutro inveniat novam aliquam bonitatem, voluntas de- terminabitur vel à motivis extrinsecis, sicut sunt circunstanciae aut aliae conditiones occurrentes, vel experientia propria libertatis, quam poterit velle circa unum potius quam circa alterum ex- ercere; & tunc ipsa libertas voluntatis non se te- nebit solum ex parte principiū eliciti electionis, sed etiam ex parte obiectū, & habebit rationem motivi alicientis, & inclinantis ad eligendum

⁴⁴ id quod ex sua intrinseca bonitate æquale & in-differens est. Et in hoc magna lateret & quicunque voluntas & hallucinatio apud Adversarios : cùm enim voluntas eligat illud objectum, quia vult, & ly quia possit dicere & causam efficientem, seu eliciente, & causam objectivam, seu allicientem : existimant non requiri, quòd libertas voluntatis se habeat ut ratio motiva & alliciens, sed sufficere quòd se habeat ut effectiva & eliciens sine novo motivo. Nos verò dicimus utrumque desiderari, & non sufficere ut libertas voluntatis effectiva, seu elicitiva ad tales electiones concurrit, sed insuper requiri, quòd objectiva seu motivè in eam influat : quia homo non inveniens in minori aut æquali bono quod moveat sufficienter ex meritis objecti, apprehendit & proponit voluntati pro motivo eligendi suam libertatem, seu placitum gratuitum, quod applicat huic objecto, & ex tali applicatione facit quod præmineat, & magis ponderet, magisque voluntatem alliciat & inclinet, quam aliud magis vel æquè bonum : unde licet tunc eligat id quod minus est bonum ex parte rei electæ in se, semper tamen eligit id quod est majus & convenientius ex parte motivi.

⁴⁵ Objicies quartò : Voluntas non est minus libera in electione mediiorum, quam in finis intentione. Sed potest intendere finem minus bonum, relicto meliori, & præferre matrimonium v. g. celibatu aut religione, que est multò perfectionis : unde S. Thomas qu. 23. de verit. art. 8. dicit quod *Non est perversitas electionis, si homo in appetendo preferat minus bonum majori bono; non enim tenetur homo prosequi meliora semper in operando*. Ergo etiam potest eligere minus bonum, relicto meliori.

⁴⁶ Respondeo concessò Majori, negando Minorem : eadem enim est ratio de intentione finis, ac de electione mediiorum ; unde licet ex duobus finibus possit quis velle illum, qui secundum se & materialiter deterior est, semper tamen vult illum, qui ex parte motivi seu dictaminis judicatur melior, aut convenientior subjecto illum intendenti. Ad D. Thomam dicendum est, illum in eo loco solum docere quòd non tententur homines semper eligere meliora, v. g. statum religionis, sed rectè possunt eligere minus bona, purum statum conjugalem : verum licet qui eligit tunc statum conjugalem, relinquit quod melius est in se, & quod melius judicatur iudiciorum speculativò, scilicet religionem; eligit tamen quod iudiciorum practicò judicat hic & nunc sibi esse magis conveniens, scilicet uxorem ducere.

⁴⁷ Objicies ultimò : Deus de facto elegit minus bonum, relicto meliori : Ergo à fortiori id potest voluntas humana. Consequentia patet : tum quia nostra voluntas est quædam participatio voluntatis divinae : tum etiam quia voluntas Dei magis inclinata est ad bonum, quam voluntas hominis. Antecedens verò probatur : Deus elegit ipsum mundum condere, potius quam alium, & tamen potuit alios mundos in infinitum istò præstantiores creare, ut docet D. Thomas i. p. qu. 25. art. 6. Item Christus potuit perfectiora Sacra menta instituere, perfectiores Apostolos eligere, & sic de cæteris : Ergo Deus potest eligere, & de facto elegit minus bonum & perfectum, relicto meliori & perfectiori.

⁴⁸ Respondeo primò, concessò Antecedenti, negando Consequentiam & paritatem : quia ut docet D. Thomas i. p. qu. 20. art. 2. hæc est dif-

ferentia inter voluntatem Dei & nostram, quòd voluntas divina non supponit, sed ponit bonitatem in rebus quas diligit & eligit ; unde non idè illas eligit, quia sunt magis bona ; sed potius ex dilectione & electione Dei, majorem vel minorem prout vult bonitatem participant.

Addo quod, cùm Deus in operibus ad extra intendat manifestationem sue gloriae, quæ magis reluet in hoc quod per media magis improportionata attingat finem quem intendit, non mirum quod interdum eligat creature minus nobiles & perfectas, & media quæ ex se videntur minus apta ad finem obtainendum : sicut quando per homines pauperes, indoctos, & inermes, fidei subjecit Reges, Oratores, & Philosophos, ac mundum universum. Unde Apostolus i. ad Corinth. 1. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientia, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, &c.*

⁴⁹ Secundò responderi potest, quòd licet Deus non semper eligit aut faciat quod melius & convenientius est ex parte rei electæ, seu ex parte intrinsecæ bonitatis rei in se, benè tamen quod est melius ex parte motivi eligendi : quod minimum est sua libertas, seu placitum gratuitum suæ voluntatis, quod applicat objecto cui vult, & ex tali applicatione facit quod res in se minus bona, & perfecta entitativer, præmineat & in ordine eligibili præpondere meliori & perfectiori, ut antea exposuimus.

ARTICULUS IV.

An supposta efficaci & absoluta intentione finis, si unum tantum occurrat medium ad illum obtainendam, voluntas ad eius electionem necessitetur.

⁵⁰ P ARTEM negativam tenent Nominales, ut refert Suarez h[ic] disp. 8. scđt. 4. affirmativa tamen communis est apud Doctores tam domesticos, quam extraneos. Cum quibus

Dico : Stante volitione efficaci finis, necessariò sequitur electio medij, quod intellectus judicialis esse unicum ad obtainendum finem. Ita colligitur ex D. Thoma h[ic] art. 6. ubi querit an homo eligit ex necessitate, & contra partem negativam, in cuius favorem absolute concludit, obiectum primò, sic se habere finem ad electionem, sicut principia ad conclusiones : ex principiis autem conclusionem necessariò sequi, ac proinde ex fine aliquem necessariò moveri ad electionem : Cui arguendo respondet quod non semper ex principiis ex necessitate procedit conclusio, sed tunc solum quando principia non possunt esse vera, si conclusio vera non sit ; & similiter non oportere quod semper ex fine insit homini necessitas ad eligendum ea quæ sunt ad finem, quia non omne quod est ad finem tale est, quod sine eo finis haberi non possit, aut si tale sit, non semper sub talia ratione consideratur. Quibus verbis insinuat Doctor Sanctus, quod si illud quod est ad finem sit tale, ut sine eo finis haberi non possit, debet necessariò eligi, supposita efficaci intentione finis. Unde i. p. qu. 19. art. 3. sic ait : *Ea quæ sunt ad finem non necessariò voluntas, volentes finem, nisi sint talia sine quibus finis esse non potest : sicut volumus cibum, volentes conservationem vita, & navem, volentes transire.*

Aa iii